

P R A E F A T I O

illico pro variis lectionibus habeantur, neque ex earum numero temere excludantur; donec omnibus ritè ponderatis, liquidiùs de illis judicari possit. Cæteroqui dubium non est, quin Patres antiqui loca S. Scripturæ sæpiissime ex memoria tantum, nec inspecto ipso Textu authenticō, citaverint: qua de re nobis constare potest, si lectio aliqua nusquam alibi, neque in Codd. MSS. neque in Versionibus veteribus, neque in ullo alio Patrum, vel Scriptorum Ecclesiasticorum, imò ne apud eundem quidem Patrem alibi, ubi idem locus citatur, reperiatur. Quod si vero lectio, de qua quæritur, apud unum quidem vel alterum ex Patribus existet, non autem suffragio ullius Cod. MS. vel Versionis veteris confirmetur; eam inter Lectiones Variantes dubias referendam esse censeo. Cæterum de citationibus Patrum fusiūs egerunt viri doctissimi D. A. H. E. I. N. S. I. U. S. in *Prolegom. in Exercit. Sacr. & Crojus in Observat. in Nov. Testamentum*, Cap. xviii. & seqq. quos Lector consulere poterit.

Pergo nunc ad Variantes Lectiones verè tales, sive eas, quæ speciem veri habent, & auctoritate Codicis alicujus MSⁱ nituntur; & quidem iis in locis, de quorum vera & archetypa lectione nondum liquidò constat. Has bifariam nobis dispertire visum est; quarum alteras esse diximus nullius momenti; alteras alicujus vel magni momenti. Nullius momenti dico eas, quæ nullam sententiæ loci inferunt mutationem; adeo ut nihil intersit, utrum hanc an illam amplectaris. Hujus generis Variantes Lectiones innumerae pene in Collectione hac **MILLIANA** occurunt; qua de re sententiam nostram jam supra exposuimus.

Restant igitur Variantes Lectiones alicujus vel magni momenti; quarum non ita multæ, pro reliquarum numero, in Editione hac N. T. reperiuntur; ut itidem jam supra monuimus. De harum plerisque Cl. **MILLIUS**, tam in *Notis*, quam *Prolegomenis* magnâ diligentia egit; post quem, actum non agemus. Hic tantum attingemus loca nonnulla, quæ Cl. **MILLIUS** vel absque censura dimisit, vel de quibus minus dextre nobis judicasse videtur.

Matth. 26. 60. legitur: Καὶ ὡς θέρη· καὶ πολλῶν τύμων μαρτύρων αποσελθόντων, ὥχθηρον. Quis non illico videt, repetitionem illam τῆς, ὥχθηρον, hic non solum esse ingratam, sed etiam supervacaneam? Quare prius illud, καὶ ὥχθηρον, delendum censeo; idque auctoritate MS. *Paris. 3.* in quo verba illa desunt, ut in *Notis* ad locum illum monuimus.

Luc. 8. 26. insignis occurrit varians lectio, Γεγεσηῶν & Γαδαρηνῶν: ubi Cl. **MILLIUS** hæc notat: *Quomodo* (nempe Γεγεσηῶν) *scriptum initio in omnibus Euangeliis putat Origenes: reliqua duo nomina ē Gentilium libris, in quibus circa nomina frequenter peccatum est, in Euangelia transferri.* Subjicit deinde locum ipsum Origenis planè insignem, sed quem in superioribus male exposuit. Οὐ καταφεομένον (inquit Orig.) τῆς ωὲι τὰ ὄντατα ἀκειθεῖται τῷ ἀπαρχλείποις βελομόρῳ συνέπει τὰ ἄγια γεράματα· τὸ μέντοι γε ἴμαστηθεῖται τῷ Ελληνικοῖς ἀντιγράφοις τὰ ωὲι τῶν ὄντατων πολλαχῖς, καὶ διπλά τετταῦτα τοῖς Ευαγγελίοις. Η δὲ τῆς ἔντοντος τῶν δαιμονίων &c. Nihil hic de *Gentilium libris* Origenes. Nam ἐν τοῖς Ελληνικοῖς ἀντιγράφοις, dicto apud eum loco, simpliciter significat, in *Græcis Exemplaribus* (Novi Testamenti sc.) Deinde Cl. **MILLIO** impo-
(a) Clericus christi-
nat. Origenem hic
loqui de Veteri Testa-
mento. v. Bibl. sel.
T. xx. p. 296. seq.
suit prava interpunctio verborum illorum, διπλά τετταῦτα τοῖς πειθαρίοις ἐν τοῖς Ευαγγελίοις. Η δὲ τῆς &c. quæ sic distinguenda sunt: διπλά τετταῦτα τοῖς πειθαρίοις. Εν τοῖς Ευαγγελίοις η πειθαρίοις &c. Sententia ergo totius loci hæc est: Ei, qui S. Scripturam perfecte intelligere velit, non esse negligendam accuratam cognitionem nominum propriorum: nam saepe circa ea peccatum esse in Græcis Exemplaribus Novi T. idque eo argumento facile aliquem induci posse ut credat, quod in Euangeliis porci à dæmonibus in mare præcipitati legantur in regione Γεγεσηῶν; secundum aliorum vero Exemplarium fidem, in regione Γαδαρηνῶν; quarum tamen lectionum neutra vera sit: scribendum enim esse Γεγεσαιῶν, &c. Vides quam longè hæc diversa sint à sensu illo, quem Cl. **MILLIUS** verbis Origenis affingit.

Ad *Luc. 16. 3.* lepidum errorem commisit Cl. **MILLIUS**, dum pro σκάπτειν ὥχθηρον; **SUIDAM** in Codice suo N. T. legisse putat, σκάπτειν ὥχθηρον. Nam locus ille **SUIDÆ** (qui exstat apud eum v. Οὐκ ἐπίταμα, absque nomine Auctoris) non est sumptus ex *Luca*, sed ex *ARISTOPHANIS Avibus*, vers. 1432. ubi Sycophantes (qui ibi loquens introducitur) inquit:

Τί γὰς πάθω; σκάπτειν γὰς ὥχθηρον.

Ad quem locum Scholia festes: Οὐκ ἐπίταμα, ἀντὶ τῆς, ὥχθηρον. Quod Scholion & **SUIDAS** dicto loco assert: ne cui dubium sit, quin nota ejus ad indicatum locum Aristophanis